

igitur : Ineundum erat Deo videre Isaac tot annis in precibus perseverantem et continuantem, non obstante, quod a primo die, illum exaudivisset.

**e.** — Quid ais Domine ? Numquid filii Zebedaei petierant, ad nos sedere ad dexteram tuam et alius ad sinistram et adhuc ais, *usque modo non petistis quidquam* ? Certe pro nihilo petitionem hanc reputabat Dominus, quia ex ambitione ortum trahebat, ideoque illis non concessit, sciens etiam, ad nostram tamen instructionem sublimia loca praecipua comminari. Aeterna veritas est illa a Christo saepius pronuntiata propositio : *Qui se exaltat humiliabitur*. Circa quae verba advertendum est, quod Salvator non dicat : *Qui exaltatur*, sed, *qui se exaltat*, quia hi qui inviti ad sublimes dignitates promoventur, nec aliis quam meritum gradibus ad easdem ascendunt, comminatio huic lapsi minime subiiciuntur, dummodo in sua virtute persistent, seque quoadusque in sublimi illo statu valde alias lubrico constituti sunt, seduci nequaquam permittunt. E contra vero qui sine ullo meriti fundamento, ex sola ambitione in altum se evehere satagunt, jure merito certissimum sibi metuere possunt praecipitum.

**d.** — Dicitur Apostolis : *Usque modo non petistis quidquam*. An nihil petit qui in congruum tempus petere differt ? Scilicet sic semper debemus petere et petitionibus instare, ut non de petendi tempore disponamus. Nam cum tempus in potestate nostra minime sit situm, temeritatis notam incurrit, qui de eo velit disponere.

**e.** — Multa ut dictum est, petierant Apostoli et tamen audiunt : *Non petistis quidquam* ; quia sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac ab illis nunquam cessare, ac si nihil esset petendum ; sed semper magis ac magis petendum est, quoadusque plenitudinem gaudii habeamus. Non una parte contentus sit homo, sed satagendum est ad totum tenendum ; merito igitur reprehenditur qui non totum, sed unam tantum partem apprehendere, ac tenere cogitat. Christianus enim semper in virtutibus progredi et proficere ; nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est contentus vivere debet. Sapiens, *lib. Prov., iv, 18*, securum nobis suggerit modum, pro quem in virtutibus stabiliri valeamus, scilicet si continuo, nec unquam intermisso spirituali profectui studeamus dum dicit : *Iustorum semita, quasi lux splendens, profecit et crescit usque ad perfectam diem*. Porro sol nunquam firmatur, sed in horizonte exurgens, semper magis ac magis ascendit usque ad meridiem ; et licet ad occasum tendat, sequenti tamen die de novo promeritare incipit, nec unquam cursum suum sinit ; idque non in suum, sed in omnium viventium beneficium. Idem quoque vir justus et perfectus imitari debet, si in perfectione perseverare, progredi, procedere et crescere velit usque ad perfectam diem. Nunquam sibi sufficiens videri debet illa virtutis

periodus, in qua ei est ascendendum. S. Augustinus super Psalmum LXXIX ita scribit : « Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic prece fecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi ; iustus sum. » Qui ita dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi haesit. Attende « Apostolum, cui non sufficit. Vide quomodo se « vult adjuvari, donec perveniat. *Frates*, inquit, « *ego me non arbitror comprehendisse* ; ne sibi videatur comprehendisse, quibus rursus dicit : « *Qui se putat aliquid scire, necdum scit quemadmodum oporteat eum scire*, I Cor., vii, 2. » Et paulo post scribit : « Ille currit, tu haesisti ? » Idem S. Doctor alio in loco ostendit, cavendum nobis esse, ne unquam nobis ipsis placeamus in eo, quod fecimus ; quin potius vehementer id nobis displiceat. Unde ait : « Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es ; nam « ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti : « sufficit, periisti. »

**f.** — *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*. Quod gaudium esse poterit Apostolis qui de Jesu absentia summa replentur tristitia ? Num senior Tobias in caecitate sua gaudio superabundat, quia ab Angelo audivit : *Gaudium tibi sit semper*. Quin magis lamentabatur, quod gaudere non posset, tanto malo plenus. Gaudium plenum erat, o pie Jesu, Apostolis, te praesente. Ex abscessu tuo manet eos tribulatio magna et gaudebant ? Vide hic divinae gratiae raris effectus, in ipsis etiam tribulationibus gaudium excitare ita plenum, ut in medio illarum, dixerit Apostolus : *Plenus sum gaudio, repletus sum consolatione*. Afflictis enim Deus communicat consolationes et gaudia. Aperte Deus animas tribulatas significat : *Cum ipso sum in tribulatione*. Idem Psalmista ore Spiritus Sancti pronuntiat : *Iuxta est Dominus his qui tribulatio sunt corde*. Quid mirum igitur, si homo tribulatus internas experiat consolationes et gaudia, dum secum habet illum, de quo scriptum est : *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* ? « Omne « gaudium existimemus, » sic exhortatur nos S. Bernardus, « cum in tribulationes varias incidere- « mus, fratres mei, non modo quia per multas tri- « bulationes oportet nos intrare in regnum celo- « rum, sed quoniam *juxta est Dominus his qui tri- « bulatio sunt corde*. » Ingeniose sane ponderat et observat S. Augustinus illa Apostoli verba ad Romanos : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* ; quod nimirum tribulatio conjungatur cum patientia : « Apo- « stolus, cum dixisset, *spe gaudentes*, quasi hic « loqueretur, qui jam in torculari suo, addidit sta- « tim, *in tribulatione patientes* ; » quasi tribulationem censeret esse inseparabilem a consolatione. In opusculis S. Seraphici Francisci legitur : « Inter- « rogatus, quomodo tam magnos oculos et « totius corporis cruciatus adeo hilari et constanti

« animo perfruebat, respondit : Tanta est gloria, « quam exspecto, ut omnis me poena deleat, om- « nis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis. » Scribit Petrus Blesensis, *Epis. cxlii* : « In suis ver- « beribus Deus memoriam abundantiae suae suavi- « tatis abscondit ; dejecit ut erigat ; vulnerat ut « sanet ; ut pressura vertatur in gratiam et afflictio « in coronam ; ut qui prius flagellatus fuerat, cum « Propheta decantet : *Confitebor tibi, Domine, quo- « niam iratus es mihi ; conversus est furor tuus et « consolatus es me*. »

**g.** — *Petite et accipietis*, ait Christus in praesenti, discipulis suis. Nihil medium adest inter petiti- nem et acceptancem, non precum repetitio, non temporis expectatio, non aliqua diuturna mora, ut saepe fit apud homines ; sed apud Deum, cum nostra petitio profertur, immediate ei correspondet imperatio. Una syllaba in oratione impetrat, ut non sit necesse secundam adicere. Innuunt igitur illa verba Evangelii : *Petite et accipietis*, facilitatem et velocitatem, qua a Deo exaudimur. Deus apud Isaiam, *LX, 29*, dixit : *Adhuc te loquente, ecce adsum*. Quae verba S. Chrysostomus considerans, ex ore ipsiusmet Dei dicit : « Non exspecto ut ora- « tionem finias, sed confestim cum incipis exaudire. » Clemens Alexandrinus hanc Dei in exaudiendo miram promptitudinem his verbis expendit : « Ce- « lerius exaudisti quam ego expectarem, Domine. » S. Bernardus de manu divina inquit : « Manum « semper apertam habes, juxta illud Prophetae : « *Aperis tu manum tuam et implebis omne animal bene- « dictione*. Cum ergo aperitur manus, diffunditur « quod in manu est : Deus semper habet manum « apertam, imo etiam perforatam, quia ex utraque « parte manus diffundit bonitatem suam. »

In sacris Canticiis dicitur : *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*. At vero cur non potius Sponsus coelestis dicit : *Sonet sermo tuus* ? Nimirum unica tantum ei vox sufficit, licet sit interrupta et non articulata ; unicuique suspirium, unicuique singultus eum ad misericordiam prestandam commovet, adeoque avidus est nos exaudiendi, ut priusquam nos audiat desiderii nostris satisfaciatur. Unde apud Isaiam dicit : *Antequam clament ad me, exaudiam eos*. Unde S. Bernardus ait : « Nemo vestrum, fra- « tres, parvipendat orationem suam : dico enim vo- « bis, quia ipse ad quem oramus, non parvipendit « eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse « scribi jubet eam in libro suo. »

**h.** — Christus spondet accepturos nos, si petamus ; cum tamen e contrario constet, multos a Deo dona petere, que tamen non accipiunt. Rationem assignat B. Apostolus Jacobus in sua *canonica Epistola, iv, 3* : *Petitistis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*. Graecus legit : *In cupiditatibus insumatis*. Id est, expendatis in complemento cupiditatum vestrarum. Inde

Deus, quia agnoscit postulata futura esse nobis noxia, ea non concedit. Audite hac de re in haec verba discurrentem Basilium Magnum : « Cum Do- « minus sponderit et dixerit : *Omnia quaecumque « petieritis in oratione, credentes accipietis*, et ite- « rum : *Si duo ex vobis consenserint super terra de « omni re quaecumque petierit, fiet illis* ; quid est « quod rogata quaedam etiam Sancti non obtine- « runt, sicut etiam Apostoli. Sic enim est apud « Paulum : *Propter quod ter Dominum rogaui ut dis- « cederet a me* ; qui tamen quod rogaverat non im- « petravit, similiterque Jeremias et Moyses. » Huic autem difficultati praefatus Doctor, sequentibus ver- bis respondet : « Cum Dominus noster Jesus Chris- « tus in oratione sua dixerit : *Pater, si possibile est, « transceat a me calix iste*, et statim adjunxerit : « *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat* ; primo « quidem scire illud convenit, non esse promissum « nobis, ut que volumus, omnia petamus. Quin ne « intelligimus quidem quid expedit nobis petere ; « quid enim aures sicut oportet, nescimus. Quo « circa in adhibendis rogationibus magna utilitas « circumspectionis uti debemus, ut ea sint ex volun- « tate Dei. »

Non quidem ex divinae promissionis defectu non exaudimur, sed propter majus bonum nostrum, vel ob nostros defectus et culpas. Quod si febricitanti in delirio delirium, quo se mortaliter vulneraret, postulanti, alius negaret, si utique ad sanam mentem rediens, se magis exaudiret fuisse pro habi- tam repulsam, quam per ferri illius traditionem fateretur, hoc enim illi in delirio dare mortem ei accersere esset. Eodem modo discurrere licet, quando Deus multis, quos amat, negat quod postulant. Illud enim eis minime expedire novit, sed potius ad aeternam salutem summe esse noscivum. Confessus est idipsum Apostolus : *Me magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae qui me colaphizat*.

Quod autem saepe a Deo non exaudiamur culpa nostra contingit, quae scilicet, in fide deficiamus, quam Christus in oratione praecipue requirit ; vel pro gratis jam acceptis ingratos nos prebentibus, vel obturamus aures nostras ad clamorem pauperis : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clumabiti, et non exaudietur*, *Prov., xxi, 1* ; vel nimis inconsiderata est petitio nostra.

**i.** — Sapsissime juxta Apostolum ignoramus quid petamus, sed saepe ardentibus votis id postu- lamus, quod minus nobis expedit. Si vero scire desideras, o christiane, quid absolute liceat petere, audi Dominum : *Ut gaudium vestrum sit plenum*. Quo vult dicere, divinam hic petite gratiam puram conservandi conscientiam, quae conscientiae gau- dium est utile, continuum et stabile. Item petite, ut postmodum ejus gloriam asequamini, in qua tantum datur plenum gaudium, siquidem beatitudo

immunis est ab omnibus miseriis, periculis, penis, culpis aliisque hujus vite laboribus.

**5.** — Effectus est vere fidei, evidentissimumque ejusdem testimonium, in ipsis tormentis pro fide exantlati, tantas degustare consolationes, ut jam ipsas celestes pregustare, quodammodo videantur, sequi jam in possessione pleni, id est, perfecti gaudii esse putent. Undenam vero hic jubilus, patiendique et moriendi cupiditas, cujus varia in Historiis Ecclesiasticis habemus exempla, derivari poterat, quam a Deo, pro cujus amore adeo generosis conatibus decertabant? S. Augustinus de S. Laurentio loquens ait: « Non enim potest in visceribus ignium tormenta sentire, qui sensibus Paradise refrigeria possidebat. » Divus Chrysostomus Christianum a pagano distinguens, inquit: « Christianum in hoc ab infidelibus differre oportet, ut omnia generose ferat et spe futurorum erectus, humanorum malorum impetu, se superiorem exhibeat. » Idemque S. Doctor, in alia quadam Homilia ita fatur: « Si Christianus es, Christo crede; si Christo credis per opera mihi fidem demonstra. In hoc ab infidelibus differimus, illi merito timent mortem, resurrectionis enim spem non habent; tu vero ad meliorem vadens vitam, non times. »

VERSUS 25.

*Hæc in proverbis locutus sum vobis, venit hora, cum jam non in proverbis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.*

*Hæc in proverbis locutus sum vobis, venit hora, etc.*

**1.** — Lyranus Christum rationem reddere voluisse dicit, cur Apostoli post ejus resurrectionem majorem et securiorem apud eternum Patrem suum habituri sint aditum: « Duo faciunt familiaritatem, cum aliquo scilicet, notitia ejus et amor; post resurrectionem autem, et Spiritus Sancti receptionem Apostoli fuerunt perfecti in notitia et amore Dei, et hæc est causa quare fuerant ei magis familiares quam ante, et hoc est quod dicitur: *Hæc in proverbis locutus sum vobis*, quasi dicat: Ante passionem parabolice et obscure locutus sum vobis. »

**2.** — Albertus Magnus ait: « Docens vos de divinis per humana, sed, venit hora cum jam in proverbis non loquar vobis, sed per internam Spiritus acceptionem. »

**3.** — Toletus hoc adimpletum esse dicit per illum, a resurrectione usque ad Ascensionem computando, quadraginta dierum decursum, in quo collegium Apostolicum de Ecclesie sue mysteriis plene docuit: « Per illos quadraginta dies discipulos erudiens, perfectus autem in adventu Spiritus Sancti. »

**4.** — Alcinus verba illa de hoc Spiritu Sancti adventu exponit, dicens: « Illam nimirum horam significabat, qua eis peracta sua passione ac resurrectione, Spiritus Sanctus erat gratiam daturus. »

**5.** — Rupertus Abbas ait: « Numquid ex quo surrexit a cœna, proverbialiter sive parabolas dixit, et non potius plano sermone præcepta dilectionis et hortamenta patientiæ dedit? »

*Sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.*

**6.** — Glossa verba illa de Spiritu Sancto intelligenda esse declarat, utpote qui distinctam illis de Deo Patre notitiam communicaturus esset: « Dato Spiritu faciam vos spirituales, ut certissima intelligentia mentis, etsi non in futuro, Deum videatis, et tunc palam de Patre meo nuntiabo, ut ipsum et me ejusdem substantiæ intelligatis. »

**7.** — S. Chrysostomus, *Hom. lxxxvi in Joan.*, per hæc illis dandam manifestationem, instructionem illam quam in quadraginta illis diebus, in variis apparitionibus illis ministravit, intelligit: « Per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei; etenim quadraginta dies et versatus et locutus est cum eis, annuntians et exponens arcana Dei. »

**8.** — Dionysius Carthusianus verba illa hæc sensum habere dicit: « Clariorem quam ante dabo vobis notitiam Dei Patris, quod factum est in die Pentecostes. »

**9.** — Lyranus verba illa de discursibus, cum Apostolis ante Ascensionem suam habitis exponens hæc illorum reddit rationem: « Erant enim magis capaces, quia habebant sensum apertum ad intellectum Scripturarum, ut habetur capite ultimo. » Porro inter alia mysteria, inquit Cajetanus, de quibus illos catechizavit, unum fuit sanctissima Trinitatis: « Post resurrectionem enim Jesus instruxit discipulos aperte de mysterio Trinitatis inter alia, que docuit de regno Dei. »

**10.** — S. Cyrillus de clara visione explicat, quam in patria habituri sumus: « Vel illud fortasse, quod post hujus mundi contractionem futurum est, quando clare et aperte gloriam Dei videbimus, manifestissimam nobis de cognitionem immittentis. »

ADDITIO.

**a.** — *Hæc in proverbis locutus sum vobis; venit hora, cum jam non in proverbis loquar vobis, etc.* Eo spectabat sermo a Christo Domino in præsentem institutus, ut suos prepararet, imo confirmaret ad jamjam imminentes pressuras et calamitates fortiter sustinendas. Affligendi erant discipuli Magistri sui morte; affligendi Judæorum et gentium tyrannide; sub quibus afflictionibus, ut discipuli fortiter se gerant, varias rationes proposuit Dominus, licet

obscure et in proverbis: modo unam affert maximi ponderis. Ea est, quod palam de Patre annuntiabit, hoc est, quod palam scire faciet celestem Patrem, sine cujus nutu nihil mali venit in terram. Quanta hæc consolatio homini, quod sciat palam habere Patrem Deum, cui omnia etiam famulantur mundi adversa? Ex hoc enim exstimulabitur ad sufferentiam eorum, Jonas in ventre ceti a pisce voratus, aiebat ad Deum: « Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi: Abiectionis sum a conspectu oculorum tuorum. Verumtamen videbo templum sanctum tuum. Erat sanctus vir in profundo maris, sciebat se sub immensa aquarum mole, fluctus lumentes frementesque universos supra se sciebat, et interea dicebat: *Tursus videbo templum sanctum tuum.* Unde sic confirmabatur et sese divini voluntati submittebat? Ipse id explicat dum ait: *Omnes fluctus tui super me transierunt;* quasi diceret: Novi fluctuum immensitatem et concitationem in me, sed novi simul tuos esse fluctus, tibi que Deo meo famulari. Et ex quo tuos novi, non potui malum eventum timere. Dum ergo scimas quia tribulationes a Deo veniunt, oportet ex necessitate faciatis virtutem, in hac proficiamus et divinæ voluntati nostram conformemus. *Si bona suscepimus de manu Dei, ait S. Job, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quanto magis hujus sancti Patriarchæ crescebant martyria, tanto magis ille in amorem Dei accendebatur, vivaciore in eo spes excitabatur: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Job., xiii, 15.*

VERSUS 26.

*In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.*

*In illo die in nomine meo petetis.*

**1.** — Expositio horum verborum a S. Bonaventura allata, hæc est: « Tunc vere cognoscetis, quod si ut homo rogo Patrem, ut Deus tamen exandio cum Patre et ideo sequitur: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem.* »

**2.** — Observat Jansenius, quod Apostoli post Ascensionem preces eterno Patri in nomine Christi recommendatas porrigere cœperint: « Dico ergo in illo die, id est, illo tempore, quo a me Spiritu meo, perfectiori Patris donati fueritis cognitione, ex qua et mei cognitionem perfectiorem accipietis, tunc in nomine meo petetis Patrem, quod modo non facitis, quod me non satis cognoscatis, nec Patrem meum. » Cajetanus ad intelligentiam se reflectit Scripturarum, quam in die resurrectionis habituri erant, *Luc., xxiv, 43: Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* vel etiam ad adventum Spiritus Sancti, per quem sibi acquisituri erant perfectam divinæ filiationis cognitionem. Rupertus

Abbas de hoc fortunato die ita scribit: « Illo die revelata gratia, die salutis et acceptabili tempore, quando Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem. »

**3.** — S. Bonaventura aliam affert expositionem, dum ita explicat: « *Petetis*, id est, petitum accipietis; vel petetis pro aliis, qui adhuc sunt in miseria; adducitque locum quemdam S. Bernardi, qui cum defuncto fratre suo loquens ita eum affatur: « Quanto quis Deo conjunctior, tanto charitatis plenior, nec quoniam Deum induisti, cura nostri te exuisti, tibi enim cura de nobis. »

**4.** — S. Augustinus, in *Catena S. Thomæ* ita ait: « In futuro seculo quid petituri sumus, quando satiabiliter in nobis desiderium nostrum? petitio namque alienis est indigentia. Reinquiritur itaque, ut intelligatur Jesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spirituales esse facturum. »

*Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.*

**5.** — Hæc verba Lyranus ita explicat: « Quasi dicat: Non dico, quod sit tunc vobis necesse habere intercessorem medium in petitionibus vestris, sicut modo. » Apostoli ante Christi passionem omnem confidentiam suam in presentia Magistri sui corporali repositam habebant, postea vero divinæ Majestati in cœlum usque porrexerunt: « Ideo Christus per illa verba vult exprimere, quod secure possent hoc facere, propter familiaritatem Patris ad ipsos; unde similis est modus loquendi, ac si dixisset Christus Apostolis: Tantam familiaritatem habetis ad Deum, quod per vos ipsos poteritis accedere ad eum et impetrare; non tamen per hoc excludit suum adiutorium; sed exprimit cum quantâ securitate poterant orare Deum; adducitque S. Agathæ exemplum, que cum de facto in cœlis beata esset, S. Lucia in terris etiamnum commoranti dixit: « Soror mea Lucia, a virgo Deo devota, quid a me petis, quod ipsa poteris continuo præstare matri tuæ? » quibus ipsa verbis suam pro ea intercessionem ei non abnuvit, sed exprimebat, cum quantâ securitate posset rogare Deum; et hoc modo Christus loquebatur Apostolis ad exprimeendam erga eos amicitiam Dei Patris. »

**6.** — Toletus hisce verbis expositionem quamdam adhibet, parum a modo explicandi ipsis Lyrani differentem; observat enim, Christum hisce verbis Apostolos inducere voluisse, ut se ad Patrem suum æternum toto corde converterent, in eoque omnem fiduciam collocarent; et ne fortasse ipsi responderent, tametsi a Patre omne id impetraverimus, quod ab eo in nomine tuo postulavimus et tametsi hæc de re omnia mysteria clare satis aperueris: « Tamen adhuc de tuo discessu dolemus, cum tu intercedere et rogare Patrem pro nobis poteris. »

« Dominus ergo a discipulorum corde hunc præsentie sensibilis affectum omni ex parte removere studens, adjicit, ita eos a Patre amari, ut si petierint in nomine ejus, non indigeant precibus ipsius. » Verumtamen per hoc non dixit, quod se nulla ratione pro illis esset interpositurus, sed tantum illis innuit, quod sua deinceps intercessione minime indigebunt, ob amorem, quo Pater ipseus ad correspondendum affectui, quem ipsi ejus Filio demonstraverant, nec non et fidei, qua in ipsum crederant, erga illos vicissim impense forebatur.

7. — Lucas Brugensis expositionem quamdam affert a prædictis duabus diversam, dicit enim, Redemptorem illis dicere voluisse: « Jungam precibus vestris, adhuc ut vobis faveat Pater et quod petitis, concedat, quasi parum ex se ad vos exaudiendos propensus sit. »

8. — Dionysius Carthusianus sciscitatur qua ratione verba hæc intelligenda sint, quia Christus in eodem sermone ait: *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum mittam vobis*. Præterea, « sine mediatore Christo, nullus habet accessum ad Deum, nec aliquid promeretur, nec exaudimur, nisi virtute et merito Christi. » Respondet, nonnullis quidem hanc afferre distinctionem: « Christus rogat ut homo, sed non rogat ut Deus; » ipse tamen aliam rationem adducit, cur pro illis non sit amplius rogaturus, tametsi in hoc eodem sermone Deum pro illis rogari dicendo: *Pater serva eos in nomine tuo, sanctifica eos in veritate*; neque enim dicere voluit, quod pro ipsis deinceps non amplius intercedet, sed solum potentiam illis indicare voluit, quam apud Patrem habituri erant: « Non ergo vult dicere, quod nequaquam orabit pro eis, sed quod tantæ perfectionis et gratiæ erunt, quod non indigeant hinc Deo reconciliari, sed ei amantissimi erunt; » post adventum namque Spiritus Sancti adeo confirmati erant, ut deinceps mortaliter nunquam peccarent ac proinde dicit: « Preces illorum erant Deo placentes. »

## VERSUS 27.

*Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.*

*Ipse enim Pater amat vos.*

1. — Cajetanus existimat quod, ex quo Christus illos de amore, quo Pater suos eos prosequatur, assurecare voluerit, simul ipsi hic insinuarit, quod ejus apud Patrem intercessione non indigeant, quod hic intelligerent seipsum non solum diligere ab ipso Jesu; sed etiam a Patre. » Jansenius paterni hujus amoris qualitatem distinctius specificat, dum ait: « Ultra et sponte amat vos et proinde non poterit non ultra vobis tanquam amicis indulgere quæ petitis eum. »

2. — Rupertus Abbas ita explicat, ut sensus sit:

« Id est, isto rogatu meo sibi reconciliatos jam habet amicos vos et de filiis iræ fecit filios gratiæ suæ; unde hoc? quia vos me amastis et credidistis, quia a Deo exivi. »

3. — Quæri autem hoc loco potest; si ita est, quod scilicet Deus nos amet; cur de omnibus, quibus indigemus, non prævidet nobis, cur ab æraminis et adversitatibus nos non præservat, aut liberat? Variis modis ad id respondetur. Primo enim dicere possumus, quod reverentia, quam Deo debemus et suprema ejus Majestas a nobis exigunt, ut ei supplicemus, hocque orationis tributum, in devotionis et obsequii nostri contestationem exolvere debeamus, quodsi enim mundi hujus principibus memorialia exhibeantur; quanto decentius est, ut apud hunc supremum Monarcham necessitates nostras per supplicationes et memorialia orationum nostrarum insinuemus. Secundo, id a nobis exigit conditio nostra, ut nostram ab ipso dependentiam, nostramque, quam habemus illius indigentiam, per orationes nostras agnoscamus. Tertio nostras preces exigunt et merentur momenta et pondera rerum, quas ab ipso petimus, gratia nimirum et gloria. Quarto, quia in oratione cum ingenti merito et lucro nostro præcipue exercentur virtutes Christianæ.

*Quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.*

4. — Ecce tibi amoris, qui in Deum ferimur, nec non nostræ in ipsum fidei nostræ remunerationem, nimirum quod a Deo Patre vicissim amemur: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos*, etc. Dum amorem nostrum creaturis impendimus, pessime eum collocamus amorem, totaliter eum amittimus et perdimus, non vero sic, quando eundem amorem in Deum dirigimus, hic enim per amoris divini, qui infinitus est, reciproca rationem copiose compensatur. Dei erga nos affectum et amorem possidere, certum quoddam omnium desiderabilium bonorum pignus est, quia ut Aristoteles ait: « Amare est velle alicui, quæ bona putat. » S. Thomas de Villanova autem inter amorem nostrum et Dei amorem ita distinguit, dum ait, *Serm. de S. Joan.*: « Hoc nomen quæ inter amorem Dei et nostrum distare solet, quod nos bonitatem in aliis diligimus, sed eam quæ illis diligendo minime præstamus; Deus autem quos diligit, diligendo optimos facit. » Amor Dei erga Apostolos omnibus gratiæ et gloriæ bonis illos cumulavit. Verumtamen sciendum est, Apostolos aliqua saltem ex parte se illo amore reddidisse dignos, quia amarunt Christum, ejusque amplexati fuerunt fidem, id quod tot alii ex Judaismo minime præstiterunt. Optime igitur S. Augustinus monet, dicens: « Aquam amoris tui fluentem in cloacam, convertite ad hortum. » Fons namque ille, qui alias in fetidis paludibus stagnaret, si derivetur in hor-

tum, herbas ibidem, flores et fructus progeminat, cum alias ranas et alia animalia perniciosa et pestifera producturus fuisset, ita quoque per quotidianam videmus experientiam, quod amor, qui in creaturas et in hæc bona terrena dispergitur, serpentes in nobis generet vitiorum et peccatorum enormium; cum tamen idem amor Deo impensus omnigenis nos locupletet bonis virtutum, donorum et gratiarum celestium.

5. — *Ego diligentes me diligo*, inquit Deus in Proverbiis, viii, 17, quomodo igitur Apostoli Patris sibi amorem compararunt, cum tamen ipsi Christum, non vero Patrem amaverint. Pro responsione notandum, quod Christus dicat, *Joan.*, xiv, 21: *Ego et Pater unum sumus. Qui diligit me, diligit et Patrem meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*; in Græco textu legitur: *Insinuabo ei meipsum*. Amor igitur, quo erga unam ex tribus divinis Personis ferimur, omnibus æqualiter gratus existit, nobisque per ipsarum amorem reciprocam, qui securissimum æternæ beatitudinis pignus est, abunde compensatur.

## Additiones.

a. — *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*. Questio hic esse potest, quare Christus dicat, quia vos me amastis et credidistis. Quid si solum credidissent, te a Patre exivisse, te verum Deum esse et hoc fide eminentissima? Nonne sufficeret? Nequaquam sane; quia licet fides excellentissima, nisi bonis operibus sit plena, ad salutem non sufficit. D. Chrysostomus fidem operibus destitutam figuræ alicui in tela delineatæ similem esse dicit. Dum enim hanc figuram eminus conspicias, videbitur tibi esse, vel S. Franciscus, vel S. Dominicus, et tamen si propius accesseris, eandem nihil aliud esse deprehendes quam telam quamdam variis colorum pigmentis imbutam. Sic quoque videbis aliquando hominem quemdam qui in verbis et specie exteriori se Christianum profitetur, quem proinde talem sæpius æstimabis; at vero, si conversationem, vitam et mores ejus examinando propius accesseris, nil in eo quod ad rationem hominis Christiani pertinet, præter solum et nudum Christiani nomen deprehendes: « Fides sine operibus » figura solum absque virtute est. » Christum Salvatorem nostrum dicere quendam juvenis quidam convenit, qui se profitebatur esse discipulum, qui proinde ab eo posebat patrem suum sepeliendi potestatem: *Domine, permittite me primum ire, et sepelire patrem meum*. Et quænam dari poterat petitio legi naturali pariter et divini conformior, quam erat ista? Verumtamen ecclesiæ Magister noster eidem respondit: *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Quis hoc Christi responsionem non admiretur? Si enim hi ad quos patris sepulturam Christus remittebat, mortui erant, qua ratione hoc corporale misericordie opus adimplere

poterat? Audiamus S. Augustinum qui in verborum illorum: *Omnis qui vivit et credit in me, etiam si mortuus vivet*, etc., expositione, ita discurret: « Si igitur non credis, etiam cum vivis mortuus es. » Cuiam differenti ipsam sequi, ait Dominus: « *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. Erat ibi mortuus sepeliendus; erant mortuum mortui sepulchri. Ille mortuus est. *Qui crediderit, inquit, vivet*. » Adolescens ille se quidem Christi profitebatur esse discipulum, atamen eum sequi, de die in diem procrastinabat: *Fides sine operibus mortua est*: illa mortuus in carne, scilicet pater ipseus; hic in anima, id est, filius, quia divino se consecrare servitio negligebat: *Sequere me et dimitte*, etc.

b. — Dubitat hic S. Augustinus et putat verba hæc sibi aliquo modo repugnare cum his quæ dicuntur, *I Joan.*, iv, 10: *Ipse prior dilexit nos*. Nam si dicitur, *amat vos, quia me amastis*, supponitur quod noster amor sit prior. Respondetur juxta mentem S. Augustini, *tract. cii*, quod amor in Deo erga nos est considerandus, unus antecedens, alter concomitans, seu consequens. Deus amore antecedenti nos prævenit et prior amat nos, cum nos peccatores ad penitentiam et amorem sui vocat et excitat; et tunc amat nos amore concomitanti, quando nos per gratiam peccatorum nostrorum remittit, iisque pariter opponitur, item ad perfectionem acquirendam nos juvat et cum vitiis pugnat. S. Lucas Evangelista Mariam Magdalenam in Pharisæi domum primitus ingredientem velut in profundissima inferni abyso positum describit dum ait: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*. Imo alicui ab eodem Luca velut omnium septem vitiorum capitalium vile mancipium in manu spirituum infernalium positum, hinc verbis ob oculos ponitur: *De qua septem demonia eiecerant*. Et tamen licet vere magna peccatrix extiterit, idem Evangelista in fine Evangelii eandem velut super sublimissimos Seraphinorum choros elevatam nobis exhibet, dum ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ac proinde Chrysologus in ejus laudem ita scribit: « Conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse. » At vero dicere mihi possetis, undenam ingens hæc mutatio processerit quod anima isthæc abominabilis, subito in pulcherrimum quendam Paradisi Seraphinum transmutata fuerit? *Dilexit multum*, inquit Salvator.

## VERSUS 28.

*Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.*

*Exivi a Patre, et veni in mundum.*

1. — S. Bonaventura dicit: « Exivi a Patre,

« quia de illo est, in mundum venit, quia corpus  
« ostendit, quod de Virgine assumpsit. » Albertus  
Magnus hisce verbis hanc paraphrasin adhibet :  
« *Exiit pro aeternam generationem a Patre; et veni*  
« *in assumpta carne in mundum, visibilis factus*  
« *mundo.* » Toletus ita explicat : « *Veni in mundum*  
« *homo factus et humilians meipsum usque ad*  
« *mortem.* »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, dicit, quod tam exitus  
a Patre, quam ejus in mundum adventus localiter  
minime sit intelligendus : « Sicut exitus a Patre ab  
« aeterno non est localiter, ita nec adventus ejus in  
« mundum est localis, quia cum Filius sit in Patre;  
« et e converso, sicut Pater omnia implet, ita et  
« Filius, nec est, qui localiter moveatur, dicitur  
« ergo venisse in mundum in quantum naturam  
« humanam assumpsit, quantum ad corpus, habentem  
« originem ex mundo; non mutando locum. »

*Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.*

3. — Bonaventura citans auctoritatem S. Augustini, dicit : « Relinquit mundum corporali disces-  
« sione, perrexit ad Patrem, hominis ascensione,  
« nec mundum deseruit praesentia gubernatione. »  
Albertus Magnus ait : « *Relinquo mundum*, non  
« tamen relinquo carnem, quam assumpsi de  
« mundo, et vado ad Patrem per Ascensionem. »  
Apelles Marcionis discipulus Christum corpus as-  
sumpsisse docet, non phantasticum, prout ejus  
credebatur magister, nec ex vera carne, ut tradit  
Evangelium, sed caeleste, affirmans impie, quod  
Christus in caelum ascendens, corporis partibus  
depositis, purus remanserit et ascenderit spiritus;  
nobis autem ex fide certum est, quod sacratissimam  
suam humanitatem una cum vulnere cicatricibus  
ad dexteram usque Patris contulerit, ut nosler esset  
apud aeternum Patrem suum advocatus. « *Ascendit*  
« *Christus in caelum*, » inquit S. Bernardinus, *Ser. II*  
« *de Asc.*, « scilicet ut nos intrinseter in corpora-  
« lem possessionem regni caelorum, ut tam corpore  
« quam anima glorificaremur in eo. » Et in alio  
quodam sermone de Ascensione dicit : « Primus  
« fructus Ascensionis est Patris exoratio. Unde,  
« *Hebr.*, ix, 24, Apostolus ait : *Jesus introivit in cae-*  
« *lum, ut appareret nunc vultui Dei pro nobis*; quot  
« vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet,  
« quibus pro nobis apud Patrem intercedit. »

4. — Cajetanus ingeniose notat differentiam in  
dicendo : « *Exiit a Patre et reliquit mundum*; non  
« dixit : *Relinquo patrem, quia exiit a Patre*, quod  
« non reliquit Patrem, ita junxit sibi carnem passi-  
« bilem, quod non reliquit divinitatem communem  
« sibi cum Patre, mundum autem reliquit, quia  
« conversationem hujus mundi, ad quam venerat,  
« relinquebat. »

5. — S. Thomas hunc mundi relictionem exponit  
quoad discessum corporalem, non vero quoad cu-

ram et providentiam : « *Relinquo mundum*, non  
« subtrahendo suae gubernationis providentiam,  
« quia simul cum Patre semper mundum gubernat  
« et semper cum fidelibus est per gratiae opitula-  
« tionem, relinquit mundum subtrahendo se a  
« conspectu corporali mundanorum; » postea vero  
idem Angelicus Doctor, quo modo et quo fine ad  
Patrem regredi disposuerit, declarat, dum ait : « *Et*  
« *vado ad Patrem, quem nunquam deseruerat*; va-  
« dit autem, in quantum se obtulit Patri in pas-  
« sione; item in quantum per resurrectionem,  
« secundum quod homo transfiguratus est Patri in  
« immortalitate; item in quantum in Ascensione  
« ascendit ad caelos. »

6. — Porro in tribus hisce Dominicis, Ascensionis  
festum praecedentibus, sancta Mater Ecclesia  
nos in praelectis nobis Evangelicis fideles suos ad  
vicinum hoece mysterium praeparare satagit, ut  
una cum Christo spiritaliter ascendere possint; et  
quidem modum, quod id assequi possimus, his ver-  
bis tradit : *Relinquo mundum*, hoc enim adimpleto  
et praemisso, consequens est, quod *vado ad Patrem*;  
unde bene S. Bernardus, *Serm. de miser. humana*,  
ait : « O homo, quanto magis ad mundum accedis,  
« tanto longius a Deo recedis; » quanto enim per  
affectum et amorem nostrum, bonis hisce terrenis  
adhaeserimus, tanto ad comparandum bona caelestia  
inhabiliores efficiamur : « Amor meus, pondus meum,  
« eo feror, quocumque feror; » et ideo si amor  
noster terram versus nos inclinet, in caelum nos  
subvehere nequibimus; verum quidem est, quod  
quoadusque in carne haec mortali vivimus, mundum  
hunc omnino deserere non possumus; attamen, ut  
S. Bernardus in celebri illo sermone, quem super  
illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia*, conscripsit :  
« Plus concupiscentia mundi, quam substantia  
« nocet; » neque enim bonorum temporalium posses-  
sio, sed nimia ad illa affectio et cupiditas nos  
condemnat, quia, ut S. Augustinus ait : « Charitas  
« venenum est, spes adipiscendorum aut retinendo-  
« rum temporalium, nutrimentum ejus est dimi-  
« nutio cupiditatis. »

#### Additio.

a. — *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*  
Relinquendus profecto mundus, si quis in aeterna  
beatitudine ad Patrem ire cogitet; unde ut facilius  
mundum relinquere possis, oculi in caelum dirigendi  
sunt; quisquis enim in caelum oculum suum dirigit,  
omnia quibus hic in terris frui potest, facile contemnit,  
quia in caelis omne bonum reperitur. Unde  
quanti valoris unica tantum caelestis torrentis stilla  
sit, ponderare licet. Salvator noster regnum caelo-  
rum homini negotiatori simile esse dixit, qui pro  
margarita quadam comparanda, totam suam sub-  
stantiam impendit. Eusebius Gallicanus negotiatoris  
hujus prudentiam et circumspectionem valde com-

mendat, licet aliis videri possit ipsum stulte egisse  
 et dicit : « Callidus negotiator est, quod ex his,  
 « quae diu possidere non potest, tale aliquid emit  
 « quod nunquam amittere timeat et in quo uni-  
 « versa possideat. » S. Gregorius pariter ait : « Omnia  
 « vendens emit, quia qui caelestis vitae dulcedinem,  
 « in quantum possibilitas admittit, perfecte cogno-  
 « verit, ea quae in terrenis amaverat, libenter  
 « cuncta derelinquit. In comparatione ejus viles-  
 « cunt omnia; deserit habita, congregata disper-  
 « git. »

#### VERSUS 29.

*Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loque-  
ris, et proverbium nullum dicis.*

1. — Christus alias quidem non nisi in parabolis  
cum discipulis suis loqui consuevit, nunc vero  
aperte loquitur. Unde Dionysius Carthusianus hunc  
illorum verborum sensum esse dicit : « Proverbium  
« nullum dicis, loquendo de exitu tuo a Patre et  
« adventu in mundum, ipsam veritatem nude, sine  
« parabola, loqueris. »

#### VERSUS 30.

*Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi,  
ut quis te interroget, in hoc credimus, quia a  
Deo existis.*

1. — Rupertus Abbas discipulos hanc attestatio-  
nem : *Scis omnia*, de increata et incarnata Sapien-  
tia edidisse dicit : « Venerabilis, » inquit, « et  
« Sapientiae Dei condigna haec professio est, qua  
« dicitur : *Nunc scimus, quia scis omnia*; omnia  
« namque scire, solius est Sapientiae ejus, cujus  
« non est numerus, quae attingit a fine usque in  
« finem fortiter et disponit omnia suaviter, haec  
« enim sola scit omnia et omnium scrutatur corda,  
« et universas mentium cogitationes intelligit. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus discipulos de illa  
scientia locutus fuisse dicit, per quam Christus  
eorum cogitationes et intentionem penetrabat;  
quasi dicerent : « Cum occultas cogitationes agno-

« scas, et interrogationes, quas ipsi facturi eramus,  
« praeveneris, te exisse a Deo credimus; mentis  
« enim penetrabilia et cordis arcana perspecta ha-  
« bere, solius Dei est. »

3. — Theophylactus in his verbis, discipulorum  
imperfectiorem considerat, utpote qui tunc, non  
vero antea dicebant : *Nunc scimus*, cum tamen jam  
multo tempore in ejus fuissent schola edocti : « Qui  
« enim tantas audierant doctrinas, dicunt : *Nunc*  
« *scimus*. » Dionysius vero Carthusianus in horum  
verborum expositione, ipsos excusare vellem videtur,  
quasi dixissent : « *Nunc scimus* pro fide et expe-  
« rientiam quandam, quod scis omnia. »

4. — S. Thomas discipulos tria specialiter de  
Christo confessos fuisse considerat : « Doctrinae  
« videlicet claritatem, scientiae certitudinem et  
« divinam originem. » Primum quidem, quia di-  
cunt : *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nul-  
lum dicis*. Et vero, ut Angelicus Doctor optime no-  
tat, si attente omnia consideremus verba Evangelii  
presentis, in nullo alio sacrae Scripturae loco, origo  
Christi adeo manifeste declaratur, quam hic; siqui-  
dem ait : *Palam de Patre meo annuntiabo vobis*;  
*Exiit a Patre et veni in mundum*, et ideo creden-  
« tes hanc promissionem, quia dixit, *veritas de Patre*  
« *meo*, etc., eis complaceant fuisse, ita ut non alia  
« manifestatione indignant, dicunt : *Ecce nunc pa-  
« lam loqueris*. » Secundum vero, id est, scientiae  
certitudinem confessi sunt dicentes : *Nunc scimus,  
quia scis omnia*, « et quidem in superficie verborum  
« satis evidens argumentum est certae et perfectae  
« scientiae, quando quis manifestat quae dicit, sed  
« tamen hoc Apostoli dicunt, propter aliam inten-  
« tionem, quia scilicet Dominus scit omnia cordis  
« eorum secreta et de his quae dubitant, satisficit. »  
Divinam denique originem constentur, quando ma-  
nifestis verbis dicunt : *In hoc credimus, quia a Deo  
existis*, « scire enim omnia et omnia secreta cor-  
« dium, est proprium divinitatis. »

5. — Dionysius Carthusianus super illa verba :  
*Non opus est tibi, ut quis te interroget*, subiungit :  
« Quia tu nosti dubitationes, atque proposita cor-  
« dium, unde non oportet tibi aliquid notificare. »

## DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XV, VERS. 26

26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAP. XVI, 1. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.